



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1714

Quæst. 49. Quid hîc sit præterea notandum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42682

A D D E N D A.

Quest. 49. Quid hic sit prætereà notandum. R. §. 411.

1. Quamvis interdicto populo, non interdicatur Clerus, quia populus absolutè censetur contradistingui à Clero, tamen interdicta familià interdicuntur Clerici illius familiæ, uti habet communis cum *Dicast. d. 5. à n. 34.* Qui tamen post interdictum illud fit de familia, non interdicitur, quia non comprehendebatur intentione interdicentis, præsumitur enim fuisse velut interdictum particulare in has personas talis familiæ. E contra si interdicta sit civitas, interdicitur, qui fit de illa civitate, quia intentio interdicentis præsumitur fuisse ferre interdictum generale, tendebat enim in communitatem secundum se, quiscunque eam componeret, usque dum tolleretur interdictum. *Bonac. d. 5. p. 1. n. 13. contra Dicast. d. 5. à n. 38.* Interdictum autem generale pertinet etiam ad suburbia, Cap. *Si civitas*, De sent. excom. in 6.

§. 2. Si communitas interdicta dissolvatur, 412. & interdictum cadebat in communitatem ut talem, hoc ipso etiam cessat interdictum: Si autem ob causam datam afficiebat certas personas, manent hæ interdictæ usque ad absolutionem, *Dicast. n. 219.*

§. 3. Interdictus particulariter & in persona, 413. quamvis mutet domicilium, manet interdictus, donec absolvatur: è contra interdictus generaliter & in communi tanquam subditus loci, in quo fuit, si mutet domicilium, desinit esse interdictus, *Suar. Ugol. Dicast. n. 49.*

§. 4. Lege interdicti latâ Cap. *Episcoporum*, 414.

M m m 4

De

De privilegiis in 6. ne celebrent, celebrari faciam &c. in locis vel coram personis nominatim interdictis, tenentur Regulares etiam exempti, *Nap. Suar. Castrop. d. 5. p. 2. §. 1. n. 7. Dicast. n. 62. Pignat. tom. 10. conf. 1. à n. 2. contra Gloss. Barb. Sayr. quia Trid. sess. 25. c. 12.* De ref. loquitur etiam ad exemptos his verbis: *Censura & interdictum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata mandante Episcopo, à Regularibus in eorum ecclesiis publicentur atque servantur.* Ita quidem, ut etiam ille, qui interdictum locale tulit, teneatur illud observare, quia ea obligatio nascitur ex Jure communi, cui ipse, nisi interdictum tollat, derogare non potest. *Castrop. p. 7. §. 1. Dicast. n. 74. 241.*

415. §. 5. Si ecclesia sit interdicta, quamvis diruatur, fundus ejus manet interdictus; nec in eo cadavera sepeliri possunt, quia ecclesiam precipue constituebat ille fundus, *Suar. Regim. Laym. Fill. Dicast. n. 217.*

416. §. 6. Habens in duplici loco actuale domicilium, unum subjectum, alterum non subjectum interdicto, secundum *Suar. & Castrop. p. 2. §. 2. n. 7.* subjacet interdicto, si habitet in loco interdicto, non subjacet, si habitet in loco non interdicto. Contradicunt *Silv. & Dicast. n. 58.* quia non est ratio, cur potius dici debeat pars populi interdicti, quam non interdicti, ergo potius inclinandum est in favorem, quod gaudeat bonis, quæ competunt non interdictis. Quod si interdicantur Doctores alicujus Universitatis, interdicuntur etiam Clerici Doctores, cum nomen Doctoris sit utrique commune, *Castrop. n. 11. Dicast. n. 41. contra Henric. Avil. & alios.*

417. §. 7. Casus, in quibus Jure ipso latum est interdi-

terdictum, fuse recensent *Castrop.* pu. 8. & *Dica-*
cast. d. 5. dub. 6. Specialiter de cessatione à divi-
 nis agunt *Castrop.* pu. 9. & *Dica.* dub. 8. Specia-
 liter de interdictis ab ingressu ecclesiæ, *Dica.* à
 n. 206. & n. 249. sed cum raro hæc fiant, omitto.

DUBIUM II.

418.

Qui sint effectus interdicti.

Resp. Sunt sequentes, 1. Prohibitio divi-
 norum officiorum: Unde etiam interdicti
 ob alienam culpam, non possunt interesse sa-
 cro: Clerici tamen & religiosi, quando ipsi in-
 terdicti non sunt, possunt ac debent ut antè,
 Missas, divinaque officia celebrare, sed januis
 clausis, non pulsatis campanis, (nisi ad concio-
 nem, salutationem Angelicam, vel obitum ali-
 cuius) submissâ voce, & exclusis interdictis,
 Permittitur tamen, ut in festis Natalis Domi-
 ni, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis, & per
 octavam Corporis Christi, divina officia can-
 tentur solenniter, admissis etiam interdictis,
 modò, qui causam interdicto dederunt, altari
 nec appropinquant, nec veniant ad offerto-
 rium vel communionem. 2. Prohibitio admi-
 nistrationis Sacramentorum, excepto Bapti-
 smo, Confirmatione & Pœnitentiâ, quæ omni-
 bus permittuntur, iis exceptis, qui interdicto
 causam dederunt, etiam auxilio, consilio vel
 favore: Eucharistia tamen potest dari moritu-
 ris, & deferri cum lumine & campana. Nec im-
 probabile est, interdictis licere contrahere Ma-
 trimonium, ut *Sanch. Kon. & Laym.* Docent, con-
 tra *Suar.* Quia hoc Sacramentum secundum
 substantiam non ab Ecclesia sed ab ipsis contra-
 hentibus ministratur. 3. Prohibitio sepulturæ

M m m 5

Eccle-